



**R. P. Francisci Svarez Granatensis, E Societate Iesv
Doctoris Theologi; Et In Conimbricensi Academia
Sacrarvm Litterarvm Olim Primarii Professoris Emeriti De
Divina Gratia Pars ...**

Continens Prolegomena sex, & duos priores libros De Necessitate Divinæ
Gratiæ Ad Honesta Opera

Suárez, Francisco

Mogvntiæ, 1620

Cap. II. Vtrum ad omnem moralem cogitationem reta[m], honestam sit
necessaria gratia?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94086](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94086)

cultatem in cognitione veri ad hoc vulnus pertinere. Constat autem ex dictis hanc difficultatem, & debilitatem etiam in speculatiuis post peccatum inueniri. Item 1. p. q. 94. art. 1. & q. 101. art. 1. ait hominem in statu naturæ integræ iuuandum fuisse per originalem iustitiam ad cauendos errores, etiam in scientijs speculatiuis, & ad earum perfectionem. Ergo earum imperfectiones, & errores, quæ nunc patiuntur, ex originali peccato prouenerunt, ac proinde ad vulnus ignorantie pertinent. Et hinc responsum est ad quartum: iam enim facilis est differentia inter singulas veritates per se spectatas, & omnium cognitionem; est enim longe difficilior cognitio omnium, quam singulorum, quia impedimenta, quæ in discursu vitæ offeruntur, non in singulis actibus occurrunt.

21.
1. Pars fundamenti 2. sententia soluitur.

Ad fundamentum secundæ sententiæ quoad priorem eius partem de prouidentia necessaria, ut homo possit quæcumque veritatem cognoscere, respondeo, illam prouidentiam pertinere ad ordinem naturæ, non gratiæ, etiam ordinis naturalis (ut alij loquuntur) quia re vera non est gratuita omnino, sed naturæ debita, & quoad aliquas veritates est physice necessaria; præsertim ad illas, quæ in indiuiduo per experientiam cognoscuntur; ut hunc esse hominē, aut ignem, & similia. Illa ergo cognitio non est donum gratiæ. Alias nullum est donum naturæ, quod gratuitum non sit, & gratia dici debeat, etiam corporis sanitas, & integritas membrorum, & similia, quæ neque aduersarij concedent, sunt enim absurda. Sed de hac re latius in sequentibus capitulis dicam.

22.
Soluitur 2. pars dicti fundamenti.

Ad alteram partem, in qua supponitur, nihil nobis Christum meruisse, nisi illud, pro quo mortuus est, respondeo falsum esse, quod assumitur: nam Christus Dominus multa habuit merita per alios actus distinctos à morte, & ex se independentes ab illa. Item meruit Angelis, etiam si propriè non sit mortuus pro illis, & idem est de gratia Adami in statu innocentie. Adde etiam, per ipsam mortem aliqua potuisse Christum mereri, propter quæ sola non moreretur, neque nunc propriè dici potest, propter illam mortuum esse. Sicut sibi meruit per mortem exaltationem nominis sui, quamuis propter suam gloriam mortuus non sit. Nam illa particula, propter, dicitur & occasionem, & proprium motiuum, ex quo orta est mors Christi. Sic autem occasio tantum sumpta est ex lapsu hominis, & propria ratio motiua fuit redemptio eius, non vero exaltatio nominis Christi, quam alijs actibus potuisset mereri, & de facto etiam meruit, licet ex ordinatione diuina speciali modo illam per mortem meruerit. Postquam enim illa mors propter alium peculiarem finem ordinata est, meritum eius valere, & ordinari potuit ad plures alios effectus gratiæ, qui per se fieri possent, etiam si peccatum hominis, & mors Christi non intercederet. Sic ergo dici potest de illa gratia gratis data ad veritates cognoscendas, maxime, quia, ut dixi, hæc ipsa gratia non datur sine aliqua relatione ad spiritualem salutem lapsorum hominum, quod satis est, ut possit esse effectus redemptionis, & mortis Christi.

CAPVT II

Utrum ad omnem moralem cogitationem
rectam, & honestam sit necessaria
gratia?

2.
Expenditur sensus questionis.

Hæc questio tractari solet de cognitione practice sensus, tamen quia sub questione est, an voluntas possit moueri ad actum honestum per solum iudicium practicum, vel etiam per cognitionem speculatiuam, ideo non vti sumus illa voce, ut ab hac questione abstraheremus. Est ergo sensus questionis. An sine gratia possit intellectus iudicare, vel cognoscere

aliquid eo actu, qui mouere, & inducere voluntatem ad actum moraliter bonum efficiendum, sufficiat? Hunc ergo actum vocamus cogitationem rectam, & honestam, quæ ita denominatur, non quia in se habeat formalem bonitatem moralem, hoc enim ad voluntatem spectat, sed quia applicat obiectum modo sufficienti, ut voluntatis actus honestus sit.

De hoc igitur actu est prima opinio, affirmans esse gratiam Dei necessariam ad quæcumque cognitionem huiusmodi, etiam si sit de obiecto, & actu mere naturali. Ita tenet Greg. in 2. dist. 28. quæst. 1. artic. 2. concl. 2. & d. 29. quæst. 1. artic. 2. Capreol. dist. 28. artic. 3. ad argument. contr. 1. Con. & in hoc sensu dicunt, ad cognitionem practicam esse necessariam gratiam. Non enim loquuntur de practico in omni materia, nam in materia actus consistit, posse haberi cognitionem veram per solas vires naturales; nam est eadem ratio, quæ de cognitione speculatiua. Loquuntur ergo de practico in materia morali. Item non loquuntur de hac cognitione vniuersali, prout habetur per synderesim, & philosophiam moralem, nam illa etiam æquiparatur speculatiuæ cognitioni, quia re vera speculatio est. Loquuntur ergo de cognitione morali in particulari, & cum omnibus circumstantijs prout necessaria est ad honeste operandum. Et hoc sensu tenuit eandem sententiam Gaspar Cassalius lib. 1. de Quadrip. iustit. cap. 32. Probatur autem primo hæc sententia ex illo 2. Corint. 3. Non sumus sufficientes cogitare aliquid ex nobis quasi ex nobis, sed sufficientia nostra ex Deo est. Et Psal. 93. Deus scit cogitationes hominum, quia vane sunt. Illa scilicet, quas ex se, & sine gratia habent, & Gen. 6. Videns autem Deus, quod cuncta cogitatio hominis intenta esset ad malum omni tempore. Vnde 2. Paralip. 20. dicitur, Cum ignoremus, quid agere debeamus, hoc solum habemus residuum, ut oculos nostros dirigamus ad te.

Secundo afferuntur loca Conciliorum supra citata, quia de practica cognitione loqui videntur. Dicit enim Concilium Mileuit. cap. 4. Vtrumque esse donum 2. Argum. 2. Dei, & scire quid agere debeamus, & diligere ut faciamus; Concil. Similia habet Araucanum cap. 9. & 22. ubi non solum iustitiam, sed etiam scientiam, quæ illam generat, dicitur esse ex gratia. Tertio eodem modo loquitur sæpe August. præsertim epist. 105. Nemo (inquit) recte sapit, recte intelligit, nisi qui donum intellectus, & consilij acceperit. Similia habet lib. 1. de Gratia Christi, cap. 28. & sæpe alias. Expressiusque videtur hoc docere de homine lapsu Fulgen. lib. de Incar. lib. de Grat. c. 12. & 13. ait enim, Hominem peccando, facultatem recte cogitandi amississe. Quarto adducuntur variae rationes sumptæ ex 4. Ex varia necessitate orationis, & ex difficultate operandi boni rationibus, de quibus latius in sequentibus. Vna ergo tantum videtur ratio propria huius loci, quia talis cogitatio honesta est actus prudentiæ, non potest autem homo suis viribus sine diuina gratia esse prudens, iuxta verba diuinæ Sapientiæ, Prouerb. 8. Meum est consilium, mea est prudentia; ergo nec talem cogitationem habere.

Secunda opinio referri potest quorundam, qui in intellectu practico distinguunt duos actus, vnum iudicij de re agenda, an expediat, necne? Alium imperij, quo intellectus efficaciter mouet voluntatem, ut vellet, dicuntque actum iudicij posse haberi sine speciali gratia, non solum propriè supernaturali, sed etiam ordinis naturalis, iuxta explicationem superius datam, & propter rationes capite præcedenti adductas. De actu verò imperij contrarium docent, nimirum, non posse sine gratia haberi. Mouenturque fortasse, quia existimant, voluntatem non posse efficere actum honestum per solam naturalem motionem, & ideo inferunt, tale imperium debere esse ex gratia, quia posito tali imperio, necessario sequitur actus honestus voluntatis. Neque multum ab hac differt aliorum opinio, quæ hic potest tertio loco referri. Aliter enim distinguunt de cogitatione practica honesta

*4. Opinio
veramque
cogitationem
aquiramus*
neste, nam quædam est tantum sufficiens ad voluntatem honestam; alia verò est etiam congrua. Inter quas hoc differt, quod prior, licet possit de se inducere voluntatem ad honestum actum, cum effectu illum non obtinet, posterior verò semper illum coniunctum habet. Priorem igitur cogitationem dicunt, posse haberi sine gratia propter dicta in capite præcedenti. Posteriori autem dicunt, necessario esse ex gratia, seu esse gratiam saltem ordinis naturalis, quia non est debita naturæ. Aliqui tandem eò progressi sunt, vt neque honestam cogitationem solum sufficientem dicant esse posse in homine lapsò sine gratia Christi, quia omnis talis cogitatio de se potest esse initium salutis, quod sine gratia Christi esse non potest.

*5. Vnde solutio
communis
que sententia*
Vera tamen resolutio huius quæstionis eadem est, quæ præcedentis in superiori capite tractata. Vnde dicendum est primò, vnam, vel alteram, atque ad eò singulas practicas cogitationes honestas, & sufficientes ad actus bonos de obiectis proportionatis naturalium regulariter haberi posse absque speciali gratia. Hæc est communis sententia in 2. dist. 28. vbi Bonavent. artic. 2. quæst. 3. Alb. Scot. Richard. & Durand. quæst. 1. Gabr. art. 2. concl. 1. Egid. dub. 2. Soto lib. 1. de Natur. & Grat. cap. 20. & lib. 3. cap. 4. Vega in Opusc. de Iustificat. Dried. de Capti. & Redempt. gen. hum. tract. 2. cap. 1. Bellarm. libr. 5. de Grat. & libro 4. cap. 1. & 2. Et sine dubio est sententia D. Thomæ in dicto art. 1. quæst. 109. vt ibi docent fere omnes, & ex articulo 2. idem aperte sumitur, vt videbimus in sequentibus. Et probatur primo ex illo Psalm. 4. *Quis ostendit nobis bona?* Scilicet, quæ agenda sunt, & respondet, *Signatum est super nos lumen vultus tui Domine.* Quod licet variè soleat exponi, tamen de naturali lumine intelligit ibi Augustin. & Cyrill. libro primo in Ioannem capite 4. & alij. Necessè est autem ibi sermonem esse de agendis in particulari, si non posset ad particularia descendere, cum actiones in particulari fiant. Et eodem modo rectè probatur hæc veritas ex Paulo ad Romanos 1. & 2. dicente, gentes naturaliter facere ea, quæ legis sunt, & habere rectum dictamen conscientie de his, quæ agenda sunt, dictamen enim conscientie practicum est, & non posset accusare hominem, nisi esset honestum: sed de hoc loco, & qui nomine Gentium, ibi intelligantur, infra tractandum est. Quod verò subdit ibi Paulus, *Gentes fuisse inexcusabiles, quia cum cognovissent Deum, non sicut Deum glorificaverunt.* De infidelibus necessariò intelligendum est, & tamen de illis docet habuisse cognitionem sufficientem ad id faciendum. Deinde hanc sententiam docent communiter Patres in his locis, & Hieronymus epistola 151. ad Algaliam quæstione 8. Ambros. 1. de Abraham capite secundo, loquens de Rege Ægypti, qui ex dictamine naturali non est ausus attingere uxorem Abraham. Idem Chrysostomus homilia 54. in Genes. Augustin. enarrat. in Psalm. 57. Prosp. cont. Collat. capit. 22. vbi admittit prædictum sensum verborum Pauli, dicitque, *talem cogitationem ex natura à Deo condita superesse reliquijs.* Et plura afferemus in sequentibus.

*6. Probatur
primò.*
Rationes ad hoc probandum imprimis adduci possunt omnes propositæ in capite præcedenti conclus. 1. nam hæc etiam cogitatio practica est proportionata lumini rationis, & ex obiectis naturali, & ordinario modo propositis per naturalem discursum accipi potest; cur ergo ad omnes, & singulos huiusmodi actus est necessaria gratia? Deinde argumentor ex principio ibi posito, nam hoc vniuersale principium, *Honorandi sunt parentes*, sine gratia cognosci potest, quia vt ibi dixi, illa cognitio ex modo suo speculatiua est, & naturalis; ergo quando in particulari occurrit occasio, hic, & nunc honorandi parentem, potest idem intellectus sine noua gratia dicere, illud esse faciendum, quod dictamen practicum est,

Pars I.

& ad bene operandum sufficiens. Probatur consequentia tum quia ex illo principio applicata materia, seu obiecto, illud dictamen particulare necessariò sequitur, tum etiam quia nulla difficultas, vel impedimentum cogitari potest, quod semper, & vbiq; occurrat, & reddat illam cogitationem impossibilem sine gratia.

Vnde argumentor tertio, inquirendo, si gratia est necessaria, qualis illa sit, aut enim est gratia interior, siue per modum principij physici, siue per modum specialis illuminationis, vel est tantum gratia exterior, quæ versatur circa propositionem obiecti, & ablationem impedimenti. Primum membrum elegisse, & asseruisse videntur Gregor. & Capreol. sed revera probabile non est, vt rationes factæ hic, & capite præcedenti demonstrant, & latè probandum est in sequentibus. Aliud verò membrum affirmant moderni defensores tertiæ opinionis, quod de cogitatione sufficiente, vel solum de efficaci, & congrua intelligi potest. De hoc posteriori sensu dicam infra, nunc de sufficiente verisimile non est, ad illam esse necessariam specialem providentiam circa hæc exteriora obiecta, & quoad singulos actus, quia communis cursus causarum secundarum non impeditur sufficit, vt occurrant talia obiecta, quæ talem cogitationem excitare possint. Si verò ordinariam providentiam, gratiam appellent, abutuntur nomine gratiæ, & occasionem præbent Pelagianis eludendi omnia argumenta, quæ contra illos ex Scriptura sumuntur, vt in superioribus tactum est, & in sequentibus latius dicemus. Nulla ergo superest vera gratia, quæ ad singulas cogitationes huiusmodi necessaria esse possit.

Tandem argumentor, quia sequitur, hominem non præuentum gratia Dei non posse peccare in his moralibus, quæ pertinent ad legem naturæ; consequens est valde absurdum; ergo. Sequela patet, quia qui non potest habere cogitationem necessariam ad operandum bonum, non poterit illam habere ad cauendum malum; ergo non potest peccare, quia licet contingat facere quod malum est, non poterit illi imputari ad peccatum. Probatur hoc vltimum, quia tunc haberet homo ignorantiam inuincibilem, vel inconsiderationem inuitabilem eius boni, quod operaturus est, hæc autem ignorantia vel inconsideratio culpam excusat; ergo. Maior patet, quia qui caret gratia necessaria ad habendam cogitationem rectam, non potest ipsam cogitationem habere, quia non habet in potestate sua gratiam necessariam ad habendam illam, qui autem non potest habere talem cogitationem, habet ignorantiam, vel inconsiderationem inuincibilem; ergo non potest peccare. Dices, habere hominem gratiam illam in potestate sua, & illi imputari, si non habeat. Sed hoc imprimis non habet locum in pura natura, in qua nulla gratia ex necessitate homini præparatur, seu offertur. Deinde non potest intelligi illa potestas in hoc genere gratiæ, quia si cogitatio illa esset gratia, esset prima gratia mouens, quæ si actu non datur, non est in hominis potestate, neque illi offertur. Item prima illa cogitatio omnino præuenit voluntatem, quomodo ergo erit in hominis potestate? Denique quid potest facere homo vt illam habeat? Maxime enim necessarium esset, vitare peccatum; at verò ad hoc ipsum requiritur præuia cogitatio honesta, & sufficiens, ergo ad hanc non potest homo libere præparari.

Vnde intelligi non potest, vt homo habeat libertatem ad peccandum, & non peccandum, quin habeat cogitationem sufficientem ad habendum aliquem actum voluntatis honestum saltem hunc, *nolo peccare*, vel, *volo non me precipitare*, sed rem magis considerare. Qui actus honestus est, & necessarius ad non peccandum, supposita actuali occasione peccati, haberi autem non potest sine prædicta cogitatione; ergo illa haberi potest

V 2

7. Tertiò

8. Quarto

Effugium
quod quæ
duplex est
præcluditur

9. Amplius
enunciat
et
persuadet
asserio.

test sine gratia, alias homo non præuentus aliqua gratia, peccare non posset. Hoc autem consequens falsum esse patet, primo in homine in puris naturalibus, cui nulla esset danda gratia, vt supra probatum est; ergo non esset capax peccati, quod dicere absurdum est. Secundo patet etiam nunc in infidelibus nondum gratia præuentis, nam illi etiam tunc peccare possunt. Nec dici potest, eos peccare, quia ponunt obstatulum gratiæ, non enim ponitur obstatulum, nisi peccando, prius autem, quam peccent, necessarium est, vt habeant potentiam peccandi, & consequenter bene cogitandi, hanc verò non habent sine gratia iuxta illam sententiã; ergo nec potentiam peccandi habere possunt.

10. Dico ergo secundo. Intellectus humanus potest virtute naturali habere omnem actum practicum necessarium, & sufficientem ad aliquem affectum voluntatis, moraliter & secundum rationem naturalem honestum. Hanc conclusionem pono, tum ad improbandam secundam opinionem supra relatam, tum etiam ad magis confirmandam præcedentem assertionem. Probatur ergo primo, quia in intellectu naturali præcedere potest cognitio, & iudicium de re agenda in particulari, & hic, & nunc secundum rectam rationem appetenda, sed hic actus sufficit, vt actus voluntatis sit rectus, & honestus, si voluntas velit illi obiecto, & iudicio conformari; ergo. Probatur minor contra illam secundam opinionem: nam si aliquid ultra requiritur ex parte intellectus, maxime imperium, sed hoc non distinguitur à iudicio practico in particulari dictante quid agendum sit; ergo. Probatur minor, primo quia in intellectu non est actus dirigens voluntatem, nisi per modum cognitionis, & iudicii, voluntas enim solum requirit præuium intellectum, vt ostendat obiectum, & quidquid aliud fingitur, & sine fundamento excogitatur, & concipi non potest, vt 1. 2. quaest. 17. ostenditur, & in lib. 1. de Prædestinatione, c. 16. multa de hoc dixi.

11. Et præterea occurrit hic specialis ratio, quia si imperium ponitur præter iudicium, solum est, vt illo posito voluntas non possit resistere, sed inevitabiliter obediatur; hoc autem poni non potest ad primum actum voluntatis; ergo saltem respectu illius potest præcedere sufficiens iudicium, vt ille primus actus voluntatis honestus sit, quod satis est intentioni nostræ, præsertim quia ex illo primo actu sequi potest imperium ad secundum actum, si necessarius sit. Maior constat ex assertionem opinionis contrariæ, & quia seclusa illa necessitate, omnino superfluum est tale imperium. Minor autem probatur, quia aliàs destruitur libertas voluntatis. Nam si imperium antecedit primum actum voluntatis, non potest ipsum esse liberum, sed necessarium, quia actus intellectus non est liber, nisi ex motione voluntatis, quæ motio ante primum actum voluntatis esse non potest, vt constat. Per quidem moueret? Ergo si posito illo imperio voluntas ex necessitate obedit, perit libertas; ergo ad primum actum voluntatis, ad intentionem scilicet liberam alicuius finis, non est necessarium tale imperium. Inde autem facile probari potest, neque ad subsequentes actus esse necessarium, quia sufficit iudicium participans vim mouendi ex præcedenti actu voluntatis, sed de hoc plura in citatis locis. Denique addo in hoc puncto, esto esset necessarium tale imperium, non minus haberi posse ex vi naturalis luminis, quam ipsum iudicium, quia neque ex parte obiecti, seu materiæ, circa quam, neque ex circumstantiis, neque ex motu imperandi magis excederet naturales vires, quam ipsum iudicium, imo, nec dari posset tale imperium, nisi iuxta mensuram cognitionis, & iudicii; ergo omnibus modis stat veritas assertionis contra secundam opinionem.

12. Secundo probatur assertio contra 4. opinionem, quia vt cogitatio intellectus sit practice recta, & honesta ex parte sua, satis est, quod sit sufficiens ad in-

ducendam voluntatem in actum honestum, vt autem ad hoc sit sufficiens, non oportet, vt voluntas actu eliciat volitionem honestam; ergo potest intellectus naturali virtute habere actum practicum honestum, & de se sufficientem ad inducendam voluntatem. Maior constat, quia vt actus intellectus sit practicus, non est necesse, vt voluntas actu operetur, hoc enim pendet ex libertate eius; satis ergo est, quod de se moueat, proponendo opus in particulari, & modum, quo fieri debet, ergo si hoc fiat circa materiam rationi naturali consentaneam cum debitis circumstantiis, ille actus ex parte intellectus erit honestus, & practice verus. Et inde etiam facile probatur minor, quia (vt paulò antea dicebam) iudicium præcedens (extra visionem beatam) non imponit necessitatem voluntati, quod pro comperto habent Theologi, saltem de necessitate quoad exercitium: ergo stat optime, iudicium intellectus ex se esse sufficiens ad inducendam voluntatem in actum honestum, & nihilominus voluntatem non velle: erit ergo (vt sic dicam) cogitatio aliqua honesta sufficiens ad mouendum, licet non actu efficaciter moueat. Atque hoc sufficit ad probationem conclusionis, & nouam improbationem prioris opinionis, quia non videtur posse negari, quin cogitatio saltem sufficiens possit haberi sine speciali gratia.

13. Dico tertio. Non solum cogitatio sufficiens ad bonum actum voluntatis potest haberi sine propria gratia, sed etiam cogitatio congrua. Hanc assertionem pono contra tertiam opinionem, eius autem probatio maxime pendet ex dicendis de gratia necessaria ad bonos actus morales voluntatis. Nam omnis cogitatio de operatione honesta, quæ cum effectu sit causa eius, & illam fieri faciat, est cogitatio congrua, sed operatio honesta potest interdum fieri sine gratia, vt ostendat: ergo & cogitatio congrua haberi potest sine gratia. Item cogitatio congrua non addit aliquid cogitationi sufficiens ex parte intellectus, nec ex parte sensuum, aut ex parte corporis, vt infra ostendat, sed addit solum respectum ad bonum affectum, seu opus cum effectu obtinendum, sed in operibus moralibus naturalis ordinis, quod hæc cogitatio habeat talem effectum, sæpe pendet ex solo visibili arbitrij naturalis, ergo per solum vsum liberi arbitrij cogitatio potest fieri congrua: ergo sine gratia potest esse congrua. Dices: illa cogitatio licet in sua substantia, & congruitate viribus naturæ fiat, nihilominus opportunitas, & occasio habendi illam, vt præparata per diuinam providentiam est beneficium gratuitum, & vt sic est quædam gratia. Respondeo non esse præparatam per speciales causas ad hunc effectum à Deo destinatas, sed per generalem providentiam, & cursum eius, Deo ordinante singula, & ad ea cooperante, & ideo licet illud sit quoddam morale beneficium ordinis naturalis, non tamen esse proprium beneficium gratiæ. Sicut etiam providentiæ diuinæ beneficium est, vt causæ, & circumstantiæ concurrentes in generatione Petri tales sint, vt in corporis membris, vel in potentijs integer & perfectus generetur, possent enim causæ aliter disponi: nemo autem illud computabit inter beneficia gratiæ sed inter beneficia naturæ: nisi addatur alius respectus ad supernaturalem finem, qui non est intrinsecus, nec per se necessarius, vt constat. Idem ergo est in cogitatione illa, de qua tractamus, vt magis ex infra dicendis comprobabitur.

14. Dico quarto. Ad cognoscendas omnes practicas agere speciales veritates morales, & iudicandum de agendis in particulari sine lapsu, & errore, necessaria est homini lapsu aliqua gratia, quæ gressus eius dirigat. Hæc est communis, & certa doctrina. In hoc enim sensu docent Theologi, ad cognoscendas omnes has veritates, seu ad collectionem omnium necessarium esse gratiam, & probabitur latius ca. 26. vbi ostendimus ad vitanda omnia peccata contra legem naturæ necessaria.

10. Assertio secundæ opinionis confirmatur præcedentem assertionem. Probatur primo excludendo necessitatem imperij.

11. Speciali ratione excluditur in præsentem imperium.

12. Probatur assertio contra 4. opinionem.

13. Assertio contra 3. opinionem. Eius probatio.

Eius probatio.

14. Assertio 4. naturæ lapsu.

cessariam esse gratiam, nam est eadem ratio de lapsu voluntatis, & intellectus practici: quia regulariter saltem non cadit voluntas, nisi præcedente defectu in intellectu practico. Itē quæ adduximus in simili conclusione præcedentis capituli, hanc probant à fortiori, quia vulnus ignorantie plus læsit intellectum practicum, quam speculativum, & quia omnes difficultates, quas patitur intellectus humanus in cognitione speculativa, occurrunt in cognitione practica, cum hæc frequentius ex speculativa pendeat. Et augetur hic difficultas ex parte affectus, qui sæpe obscurat iudicium intellectus: nam qualis vnusquisque est, seu qualem habet affectum, talis finis, seu actio sibi videtur, vt Aristoteles scribit.

15. Loquutus sum autem in assertione de cogitationibus practicis in particulari, quia de principiis practicis, seu moralibus in vniuersali non est ita certa conclusio. Aliqui enim existimant, posse omnia talia principia naturaliter, & absque auxilio gratiæ cognosci sine ignorantia, vel errore: quia talis cognitio vniuersalis non est proprie practica, sed potius speculativa, quatenus ab effectu non pendet, ideoque ex hac parte non est difficilior, quam speculativa. Aliunde verò ex genere suo, & materia est minus difficilis, & minus ampla, seu pauciora principia complectens, quam naturalis Philosophia, Mathematica, & Metaphysica. Quæ sententia probabilis erit, si de solis principiis per se notis, & de aliquibus veritatibus illis proximè coniunctis intelligatur. Si verò ad omnes morales veritates, quæ ex illis principiis elici possunt, extendatur: multò probabilius videtur non posse omnes integrè, & sine errore absque auxilio gratiæ cognosci. Quia etiam illæ sunt satis multæ, & inter eas plures sunt valde obscuræ, & difficiles sub naturali tantum lumine spectatæ, vt in materia iustitiæ, vltimam esse intrinsecè malam, vindictam propria autoritate esse iniustam, mendacium semper esse peccatum, etiam si sit maxime officiosum, & propter vitandum quodcunque malum. In materia castitatis, fornicationem simplicem esse graue peccatum. In materia matrimonij pluralitatem vxorum esse per se malam, vel non posse dissolui, etiam ex mutuo consensu. Item circa modum amandi, & honorandi Deum, multa occurrunt satis obscura, & difficilia in solo naturæ lumine, & ferè in omni materia virtutis plura similia inveniuntur. Vnde nullus Philosophus naturalis fuit, qui omnia moralia sine defectu, vel lapsu cognouerit. Ergo signum est, etiam in illis positam conclusionem locum habere.

16. Hæc autem doctrina tam de homine in pura natura, quàm de homine lapso proponitur, quia in vtroque locum habet ratio facta. Neque est mirum, quod humana natura ex propria conditione naturali hunc habeat defectum, etiam absque occasione culpæ, quia ex se imperfecta est, & ex contrariis composita. Nec etiam est illi debitum ex vi prouidentie naturalis, vt talis imperfectio impediatur, vel vt ab autore suo ita iuuetur, vel dirigatur, vt nunquam practicè erret in moralibus, quia Deus vt est author, & prouisor naturæ, solum debet concursum necessarium singulis facultatibus naturalibus iuxta earum capacitatem, & si imperfectæ sint, potest permittere, illas imperfectè operari, & si contrariæ sint, potest similiter finire, vt se impediunt, & interdum deficiant. Quod si vellet aliquid amplius iuuare hominem in pura natura institutum, id est, sine ordine ad finem, & dona supernaturalis ordinis, id quidem facere posset per extraordinariam prouidentiam eiusdem ordinis naturalis, non tamen debitam, sed gratis datam, satis verò diuinæ libertati, & sapientiæ consentaneam.

17. De statu verò innocentie alia est ratio, nam in illo non potest esse proprie ignorantia, vtique de his, quæ vnusquisque scire debet, & multo minus potuisset homo decipi in his veritatibus moralibus, quam in speculatiuis, nisi amittendo statum. Verum est ta-

Part I.

men, illud non fuisse sine speciali dono Dei non debito naturæ secundum se spectatæ. Poterat autem illud donum dici quasi connaturale illi statui: ad illius enim perfectionem, & quasi ordinariam legem pertinebat specialis Dei prouidentia, qua fiebat, vt obiecta externa conuenienter, & sine occasione erroris ex parte eorum proponerentur, quo beneficio supposito, existentibusque integris facultatibus animæ, & bene dispositis quoad omnia organa sensuum, & obseruato prudenti modo in ferendis de rebus iudicijs, facile fuisset homini non decipi in his, quæ naturali virtuti intellectualis hominis subiacerent.

Ad primum argumentum prioris sententiæ respondet, Paulum, cum ait, *Non sumus sufficientes cogitare aliquid ex nobis*: præcipue loqui de cogitatione iactata, quæ ad veram iustitiam, & sanctitatem perfecte conferat, vt ex antecedentibus, & sequentibus aperte constat; dixerat enim, *Fiduciam autem talem habemus per Christum ad Deum*. Et tunc addit, *Non quod sufficientes simus cogitare aliquid*: vtique ex quo talis fiducia nascatur, vnde subiungit, *Sed sufficientia nostra ex Deo est, qui & idoneos nos fecit ministros*, &c. vbi aperte loquitur de prouidentia gratiæ, & de Deo, vt illius auctore, & ad hoc allegatur hic locus in Conc. Araus. 2. Can. 7. & exponitur ab Aug. libr. 1. de Prædest. Sanct. c. 2. Vt latius dicitur in sequentibus. David autem in Psalm. 93. loquitur de peccatoribus, & præsertim de infidelibus, qui de prouidentia, & scientia male sentiunt, & tales cogitationes eorum dicit esse vanas, non tamen dicit nullam habere posse honestam, & rationi consentaneam. Et similiter locus Genes. exponi potest de cogitatione propria hominis, quam Habrea lectio vocat *Figmentum cogitationis hominum*. Hæc enim in malam partem accipitur, sicut voluntas propria, & ideo mala dicitur: vel certe facilius dicitur, ibi per amplificationem vniuersaliter affirmari, quod vt plurimum accidit, ad significandam naturæ humane corruptionem. Sicut ibidem dicitur: *Omnis quippe caro corruperat viam suam*; cum tamen Noe, & nonnulli alij essent iusti. Verba autem Paralipom. sunt Iosaphat orantis ad Deum, vt se, & suos ab hostibus liberaret, quibus sine speciali Dei protectione resistere non poterant. Vnde ipse dixit, *In nobis non est tanta fortitudo, vt resistere possimus huic multitudini, quæ irruit super nos*. In illa ergo occasione merito dixit: *cum ignoramus quid agere debeamus*, &c. Inde tamen non fit, vt semper id ignoremus.

Ad secundum eadem est responsio, quæ ad verba Pauli, nam Concilium Mileuitanum euidenter loquitur de supernaturali cognitione, & de operibus supernaturalis iustitiæ: nam in Canone 3. dixerat, gratiam sanctificantem esse necessariam ad salutem, & statim subdit cap. 4. eandem gratiam esse necessariam non solum ad cognoscendum, quid agere oporteat, per reuelationem, & intelligentiam mandatorum: sed etiam ad volendum. Loquitur ergo de pia voluntate, quæ ad iustitiam confert, & de cognitione illi proportionata. Et eodem modo loquuntur Concilium Arausican. & Augustinus, vt etiam infra magis constabit. Adde præterea (quod supra dixi) etiam cogitationem honestam naturalem, præcipue referendam esse in Deum, aliquando quidem tanquam in authorem gratiæ, quia peculiari modo ad illam adiuvat in ordine ad finem supernaturalem, per se autem, & ex necessitate solum esse ab illo vt ab authore naturæ. Possunt etiam aliqua testimonia, & præsertim illud Fulgentij intelligi de necessitate gratiæ ad procedendum sine errore, & sine defectu in his actibus, & iudicijs, iuxta vltimam conclusionem positam, vt infra latius dicemus.

Ad vltimam rationem respondetur, aliud esse, habere vnum, vel alium actum prudentiæ naturalis, aliud prudentem fieri. Primum dicimus esse possibile absque gratia, inde verò non sequitur secundum, quia ad prudentiam comparandam necessarius est affe-

Etus valde moderatus constanter, & quasi permanenter necessarium etiam est frequenter, & ordinariè, & in difficilibus etiam occasionibus prudenter operari, quod sine gratia fieri non potest, iuxta quæ in cap. ultimo huius libri dicemus. Ad fundamentum secundæ opinionis, quod positum est in distinctione imperij à iudicio, iam responsum est, tam negando assumptum, loquendo de iudicio practico, & in particulari, quam negando consequentiam, quia etiam si imperium esset etus distinctus, nulla esset ratio, ob quam semper vires naturales superaret. Ad tertiam vero opinionem respondetur in primis, licet cogitatio congrua absolute non sit debita huic, vel illi personæ, simpliciter esse debitam naturæ, & hoc satis est, ut non sit gratia. Deinde dicitur, licet cogitationem esse congruam, non sit nebitum, quia hoc pendet ex libero usu hominis, esse tamen debitum cuiusque ut possit suam cogitationem efficere congruam per naturalem facultatem, si cogitatio naturalis sit, & hoc est satis, ut talis cogitatio non sit gratia, & sit possibilis sine gratia. Ad ultimam denique sententiam negamus, cogitationem honestam merè naturalem esse posse initium salutis, idem enim est initium salutis, quod initium fidei, vel iustificationis, initium autem fidei non sumitur à cogitatione naturali, sed ab Spiritus sancti illuminatione, & inspiratione, ut tradit Concil. Arausic. c. 4. & 5. initium verò iustificationis sumitur à vocatione, ut docet Concil. Trid. sess. 6. cap. 3. & inferius latius tractabitur.

Quarta similiter.

C A P V T III.

Verum homo lapsus possit honeste operari aliquando per quamcunque virtutem, siue naturæ, siue etiam gratiæ.

1. Presentis questionis ratio est declaratio.

Priusquam de necessitate gratiæ ad rectè operandum disseramus, visum est operæ pretium de sufficientia gratiæ (ut sic dicam) ad operationem vndeque honestam, eliciendam dicere, quia si per gratiam non possent bona opera fieri, non solum necessaria esse non posset, verum etiam superflue daretur hominibus. Per actionem autem honestam illam intelligimus, quæ ex obiecto, seu fine, & alijs circumstantijs bona est: nam si aliquam habeat circumstantiam malam, iam erit mala, & ideo facile poterit ab homine fieri, etiam sine gratia, & in peccato existente: loquimurque indifferenter in quocunque actu bono, cuiuscunque ordinis, vel gradus sit. Ac denique tractamus de homine lapsa, quia de nullo alio statu hominis dubitatum est etiam ab hæreticis. Nam de statu primæ institutionis generis humani, seu innocentie, & integritatis naturæ certissimum est, potuisse rectè operari saltem cum gratia, an verò etiam sine illa, postea dicemus. In statu autem puræ naturæ vix habet locum questio, quia in illo supponitur non dari gratia, tamen si daretur eadem ratio esset de illo, quæ de statu naturæ lapsæ, iuxta superius dicta, & infra ostendemus, etiam sine gratia potuisse hominem in eo statu bene aliquid operari. Igitur tantum de homine lapsa dicendum superest. Et loquimur indifferenter de gratia, siue sit sanctificans, siue auxilians, siue utraque simul, ita ut sensus sit: an homo lapsus siue iustus, siue peccator, possit cum quocunque auxilio gratiæ bonum aliquid operari?

2. Et agitur solum contra notissimos hæreticos asserentes omnia nostra opera esse peccata.

De hac ergo questione in hoc sensu proposita nulla est controversia inter catholicos, nec existimo fuisse cum hæreticis usque ad tempora Lutheri, qui dixit, hominem in natura lapsa, quantumvis sanctum, & iustum, & à Deo adiutum nihil operari posse, quod peccatum non sit. Ita Luther. Calvin. & Melanct. & Kemmi. relati à Bellarmin. lib. 5. de Gratia, & liber.

arbitr. cap. 4. & lib. 4. de iustific. à cap. 10. Veg. lib. 11. lib. Trid. à cap. 9. Castr. ver. Opera, hæres. 1. Soto lib. 3. de nat. & grat. à cap. 3. Rosen. art. 31. & 32. cont. Luther. Idem senserunt Jacob. Præpositi, & alij plures apud Præteol. Est autem aduertendum, hos hæreticos interdum dicere, nullum opus hominis iusti, seu fidelis esse peccatum, inter omnia esse peccata: sed utrumque in sensu hæretico, non inter se contrarium. Dicunt enim opera ipsa revera in se mala, & peccata esse, si tamen ab homine fidei fiant, cum firma fide, & fiducia, quod à Deo non imputantur, nihil nocere, nec tanquam prava computari, & ideo dicunt non esse peccata in his, qui talem fidem habent, in alijs verò, qui illam fidem non habent (quos & peccatores, & infideles esse reputant) omnia opera, quantumcunque Deo adiuvante fiat, & esse peccata, & imputari. Omisso verò errore de non imputatione, de quo infra in materia de iustificatione redibit sermo, generalis eorum sententia est, omnia opera lapsorum hominum, quomodocunque fiant, in se esse vera peccata.

Fundantur primo in quibusdam Scripturæ testimonijs male intellectis, ut est illud Ecclesiast. 7. Non est homo iustus in terra, qui faciat bonum, & non peccet. Psal. 13. Non est qui faciat bonum, non est usque ad unum, & similia. Secundo addunt testimonium Patrum, in iudicio Dei nullam esse iustitiam humanam puram & laudabilem, nisi Deus sua pietate conniveat, ex August. lib. 9. confess. c. 13. lib. 3. contra duas epist. Pelag. cap. 7. Gregor. 9. Moral. c. 14. & lib. 35. cap. vlt. Bernar. Sermon. 5. de verbis Isaïæ, & Ser. 1. de omnibus Sanctis. Tertio addunt rationem, quia homo peccando amisit potestatem operandi cum illa integritate, & rectitudine naturæ, quam habebat in sua prima conditione; ergo necessario semper peccat. Probatur consequentia, quia habet præceptum operandi in illa integritate, primò quia hoc habuit à principio, & non debuit ab illo exitum peccando, secundo quia præceptum, Non concupisces, etiam motus fomitis prohibet; tertio quia nunquam potest homo lapsus diligere Deum super omnia, prout illi præcipitur, sine cuius præcepti observatione nihil boni agere potest. Vnde illationem faciunt, hominem peccando amisisse liberum arbitrium ad bene operandum, quia non est in libertate, seu potestate eius, non sentire, & pati effrenatæ concupiscentiæ motus. Et inde fit, ut nihil agere possit sine aliqua circumstantia prava, vel quia non potest diligere Deum super omnia ratione fomitis, & ita semper operatur ex inordinata concupiscentia, atque adeo peccaminose, vel quia semper à fomite retardatur, ne convenienti modo, & secundum virtutem operetur. Vnde quia gratia huius vitæ nunquam tollit fomitem, nunquam sufficit ad bene operandum sine peccato. Hic vero error non solum impijssimus est, sed etiam stultissimus, ac vanissimus ex sola malicia excogitatus, ut homines de bonis operibus non sint solliciti, sed contenti ea fide, qua credunt, sibi non imputari peccata, illa licentius committant.

Dicendum est ergo, gratiam aliquam Dei esse sufficientem, ut homo lapsus faciat aliqua bona opera sine ulla malitia, vel culpa. Est assertio de fide, definita in Concilio Tridentino sessio. 6. canon. 7. quoad opera, quæ ante iustificationem sunt, & 18. 22. & 25. quoad opera iustorum, quibus possunt & legem implere, & in gratia perseverare, & scilicet culpa etiam veniali operari. Leo etiam X. damnavit articulos 31. 32. & 37. Lutheri huius dogmati contrarios, Præterea Scriptura passim consulit bona opera, & laudat illa præsertim in iustis, & pro illis præmium promittit; supponit ergo esse possibile, saltem per gratiam Iob. 1. In omnibus his non peccavit Iob, & c. Psal. 118. Beati immucubati in via, qui ambulant in lege Domini & toto Pl. 1. & 14. & alijs passim. Et in veteri testamento multi laudantur ut iusti, & bene operantes saltem per fidem, quorum præcipuos recenset Paulus ad Hebr. 11. Præterea in nouo testamento dicit Christus Matth. 5. Sic

3. Eorum fundamentum ex Scriptura male intellectis. 2. Eundem. ex Patribus. 3. Eundem. ex ratione.

Illatio inordinandæ hereticorum.

Prædicti rationis multiplex error.

4. Assertio definita in Trident. & à Leo X. contrarium error damnatur.

Præbatur etiam ex Scriptura.